Quelle: http://manuscripta.at/?ID=25873
Copyright: Admont, Benediktinerstift

Hinc ezechiel dicit, cum mundi finem sub typo gog describit: Et erit in die illa dabo gog locum nominatum sepulchrum in israel, vallem viatorum ad orientem maris, quae obstupescere faciat praetereuntes. Cuius capituli obscuritatem si annuerit dominus, alio opere elucidare temptabimus.

repromissionis repatriare incipient. Quam dedisti patribus eorum, quia cum ipsi veri abrahe filii per veram christi fidem esse ceperint, terram quoque abrahe repromissam quaerere incipient. Et civitatis quam elegisti. Civitas quam deus ab initio elegit, ierusalem accipitur, in qua ipse dei filius redemptionem mundi peragere voluit, sicut psalmista dicit: Deus autem rex noster ante secula operatus est salutem in medio terrae. Unde et per ezechielem dominus dicit: Haec est ierusalem, in medio gentium posui eam. Et templi quod edificavi nomini tuo. Templum quod filius dei nomini dei patris edificavit, est vel sancta ecclesia quam suo sanguine propagavit, vel sepulchrum illud gloriosum quod suo sanguine humectavit, vel sacro sancta sui corporis quiete dedicavit. De quo templo Isaias dicit: In die illa radix iesse, qui stat in signum populorum, et erit sepulchrum eius gloriosum. Exaudies in celo, scilicet in meae passionis propiciatione, suscipies penitentiam conversae synagogae. In firmamento solii tui, sicut olim Gabriel archangelus promisit danieli: In tempore illo consurget Michahel, qui stat pro filiis populi tui. Exaudies orationem eorum, dando eis veram remissionem peccatorum. Exaudies preces eorum, suscipiendo vota fidei et dilectionis eorum. Et facies iudicium eorum, reddendo eis pro fidei meritum honorem primogeniturae, quem amiserunt per meae humanitatis contemptum, quando ascenderunt cubile patris sui et maculaverunt stratum eius. Propitiaberis populo tuo qui peccavit, et omnibus iniquitatibus eorum quibus praevaricati sunt in te. Propiciaberis populo, quia tuus populus amodo erit, qui in me peccavit, cum me filium tuum morti condempnavit. Omnibus iniquitatibus eorum propitiaberis, quia et originalia et actualia peccata in baptismo eis condonabis, quibus in te sunt praevaricati, quibus a tua fide et dilectione sunt alienati. Dabis eis misericordiam, cum in me ceperint credere, veram tuam misericordiam. Coram eis qui

eos captivos habuerint, coram gentium populis qui eos in servitutem redegerunt, ut misereantur eis, docendo eos fidei tuae veritatem, et reddendo eis pristinam libertatem. Populus enim tuus est et hereditas tua, quam mihi dedisti, cum pro eorum salute me incarnari voluisti. Quos de terra egypti eduxisti, cum eos per illuminationem spiritus tui de ignorantia tui et sui eripuisti. De medio fornacis ferreae, quia in sua infidelitate omnimoda sunt adusti infelicitate, et omnimodae servitutis despectione. Ut sint oculi tui aperti, qui sunt vii spiritus dei in omnem terram missi. Ad deprecationem servi tui, quia ego filius tuus per assumptam humanitatem factus sum servus tuus, et filius ancillae tuae beatae virginis matris meae. Et populi tui israel, populi christiani, qui te non cessat iugiter exorare pro istius populi salute. Exaudies eos in universis pro quibus te invocaverint, ut ipsi in plenitudine tuae gratiae plenitudinem gentium ad te reducere possint. Tu enim separasti eos tibi in hereditatem, quia per mei sanguinis reconciliationem facies eos tuam possessionem. De universis populis terrae, qui, cum sint ultimi in sua conversione, erunt primi tuae fidei et dilectionis perfectione. Sicut locutus es per moysen servum tuum, quando eduxisti patres nostros de egypto, domine deus. Haec enim sunt verba tua per moysen huic populo ab antiquo repromissa: Cum reversus fueris ad dominum in toto corde tuo et in tota anima tua, reducet te dominus deus tuus de captivitate tua, et miserebitur tui, et rursum congregabit te de cunctis populis in quos te ante dispersit. Si ad cardines celi fueris dissipatus, inde detrahet te dominus deus tuus, et assumet atque introducet in terram quam possederunt patres tui, et optinebis eam, et benedicens tibi maioris numeri esse te faciet quam fuerunt patres tui. Revertetur enim dominus ut gaudeat super te in omnibus bonis, sicut